

do Sacramentum nullatenus exponetur periculo frustrationis. Ita Sbogar cit.

S. IV. Parvuli infidelium validè baptizantur invitis Parentibus, & quandoque etiam licitè.

Infideles alii possunt esse baptizati, quales sunt Hæretici, & à fide Apostata. Alii non baptizati, quales sunt Ethnici, Turcæ, Judæi &c. Inter hoc aliqui nullo modo sunt subiecti principibus Christianis; Alii sunt iisdem subiecti tamquam Cives, seu Civiliter, & Politicè; Alii denique sunt eis subiecti tamquam servi emptitii, & mancipia seu serviliter, & despoticè. Hoc notato.

I. Parvuli infidelium quorumcumque validè baptizantur invitis Parentibus. Est satis certa, & communis Doctrina Theologorum, uno, vel altero excepto, quorum Opinio teste La Croix lib. 6. parte 1. n. 297. Communiter rejicitur tamquam improbabilis. Ratio est: quia ad valorem Baptismi tantum requiritur legitima materia, forma, & intentio: Consensum autem Parentum requirit, nec ex S. Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Traditione constat. Quinimò ex sensu Ecclesiæ constat contrarium; quia Ecclesia numquam rebaptizat parvulos contra gentiliū Parentum voluntatem baptizatos. Denique cum Baptismus sit parvulis summè ad salutem necessarius, debuit valor illius esse independens ab extrinseco Parentum consensu, ne illius defectu frequenter sua salute frustreretur.

II. Parvuli infidelium baptizatorum, id est. Hæreticorum aut à fide Apostatarum, licitè baptizantur invitis Parentibus, si ita velint legitimi superiores Ecclesiastici. Est certa Sententia ex Concilio 4. Tolet. cap. 56. teste Layman lib. 5. traç. 2. cap. 6. n. 11. Ratio est: quia Hæretici Ecclesiæ Jurisdictioni subiecti sunt, à qua proinde sine injuria compelluntur, ut parvulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant, & in fide, ac Religione Catholica instruant: sin verò id facere reculent, infantes ab eorum cura abstrahi, & Baptizari jure possunt.

III. Parvuli quorumcumque infidelium sive baptizatorum, sive non baptizatorum, licitè baptizantur à quolibet, in periculo mortis. Ita recepta Doctorum Sententia apud Henricum cit. disput. 6. q. 4. n. 28. Ratio est: quia extremè indigenti infanti succurrendum est, quantum est possibile, & gratis concessio, quod Pater habeat directum jus, ne proles ipso invito baptizetur; illud tamen jus hic cessat, sicut in quavis extrema necessitate censentur jura cessare. Deinde parvuli infidelium non baptizatorum, qui sunt servi, sive mancipia Principis Christiani, licitè baptizantur de consensu illius solius, etsi Parentes sint inviti. Ita communiter DD. apud Henricum cit. n. 27. Layman. loc. cit. Ratio est: I. quia videmus in praxi, proles Turcarum, quæ justo Bellò sunt Mancipia Christianorum, baptizari contra voluntatem Parentum. II. Quia princeps Christianus justè possit filios Mancipiorum suorum vendere, & à Parentum abstrahere potestate; ergo etiam potest illos per Baptismum subicere Ecclesiæ potestati. Periculum autem Apostasi potest evitari, si videlicet Princeps, vel Dominus Christianus prolem rectè curet educari. aut inter fideles procul à Parentibus ablegari. Imò Dominus per se loquendo ad Baptismum talium tenetur; cum ipse habeat us, adeoque obligationem velut paternam, ejusmodi parvulis providendi potissimum de necessariis ad salutem. Præterea admittunt omnes, quòd dum alteruter Parens est fidelis, proles sequi debeat Religionem Christianam, & sit baptizanda, si sit Spes Christianæ educationis. Ita habetur in Concilio Toletano IV. Can. 63. & refertur cap. Judæi. 28. quest. 1. Idem cum proportione est dicendum, si proles sit sub cura plurium tutorum, quorum saltem unus est Christianus. Similiter si alteruter Parens consentit, etsi uterque sit Ethnicus, sufficit consensus unius ad tribuendum Jus Ecclesiæ ad Baptizandum parvulum. Item si proles infidelium non baptizatorum, nec subditorum Principibus Christianis venissent in potestatem Christianorum, etsi per injuriam; si sit impossibile, eas Parentibus restitui, possunt licitè baptizari, cum nulli fiat injuria, ut patet. Item si filii infidelium perpetuò amentes sint, baptizari possunt invitis Parentibus; quia alioquin omni spiritali remedio salutis æternæ privati essent, quando nulla Spes est ad proprium rationis usum perventuros. Quare hoc casu ab injuria excusata censetur qualis qualis violatio Parentibus illata propter extremam necessitatem baptizandorum. Ita Layman cit. n. 10. Denique constat apud omnes; quòd si proles talium infidelium petant Baptismum, sit eis conferendus, etiam invitis Parentibus: sunt enim in hoc sui juris. Si autem de usu rationis dubitetur, inclinandum esse in favorem fidei, censet Sotus apud Henricum cit. n. 29.

Differendum tamen esse Baptismum, usque dum de usu rationis constet, censet Henriquez. Cominck, & Alii.

IV. Prædictis Casibus exceptis, communis Theologorum sententia docet, non licere parvulos infidelium non baptizatorum, & nullo modo Christianis Dominis subiectorum baptizare invitis Parentibus, eò, quòd fieret injuria Parentibus, quibus Jure naturæ competit potestas Patria in suos liberos, quamdiu rationis, & arbitrii proprii usu non potiuntur. Quare solùm difficultas est, an infantes infidelium non baptizatorum, principibus Christianis civiliter tamen, & politicè subiectorum baptizare sit licitum? Negat Div. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 2. & 3. par. q. 67. ar. 10. cum suis de Actoribus, & est communis Recentiorum Sententia. Affirmat Sotus cum suis in 4. d. 4. q. 9. quæ Controversia, si bene pendatur (ait Mastrius Theol. Moral. disp. 17. quest. 3. art. 2. n. 44.) potius est de nomine, quàm de re; quia Sotus etiam id absolute non affirmat, sed quibusdam cautelis adhibitis, quibus consideratis utraque Sententia ferè in idem recidit. Prima enim Sententia asserit, infantes infidelium, invitis eorum Parentibus non esse baptizandos, si sub illorum potestate, & cura remaneant, aut periculum sit, ne ad eorum curam, & potestatem redeant, & ab illis pervertantur. Si autem ab illorum potestate, & cura justè abstrahi possint, ita ut nullum sit periculum, ne ad illos redeant, aut ab illis pervertantur, affirmat in tali casu licitum esse infantes illos etiam invitis Parentibus baptizare, similiter ait, hoc esse licitum in casu, in quo infans esset in certo periculo mortis: quia in eo eventu cessat periculum subvertionis, & subveniendum est proximo extreme indigenti; Ita discurrunt Sotus, Vasquez, Valentia, Reginaldus, Cominckius, Caspensis, Amicus, Aversa, & alii Auctores primæ Sententiæ. Sed his quoque cautelis adhibitis asserit Sotus loc. cit. Sententiam affirmativam, non aliter, nec alio modo, nimirum si præcaveri possit, ne infantes occidantur à Parentibus, tunc baptizentur, & sit aliqua certitudo, quòd tales infantes baptizati sint Christianè educandi; ne irreverentia accidat fidei ob Apostasiam. Cujus Ratio est: quia quando Dominia sunt subordinata, parendum est Domino superiori, contempto præcepto inferioris, si illi contrarietur; cum ergo DEUS, qui est Dominus supremus, & universalis, secundum Legem naturalem, & Evangelicam, omnium parvulorum, præcipiat eos per Baptismum sibi consecrari; quamvis Pater infidelis, qui est Dominus particularis, velit oppositum, Princeps Christianus, qui est Minister Justitiæ, & habet potestatem coactivam respectu subditorum ad defensionem innocentis, quia gladium DEI portat, poterit illos à Parentibus auferre, & DEO consecrare per Baptismum, per se loquendo: Ex quibus constat hanc Controversiam esse potius de nomine, quàm de re, & Recentiores ita loquentes incidere in Sententiam Scoti. Ita Mastrius cit. quia verò cautela à Scoto requisita rarò possunt adhiberi, & Baptismus parvulis infidelium collatus sæpe esset occasio graviorum malorum, ordinarie non licet eos baptizare; Quemadmodum Ecclesiæ ad evitanda graviora mala adultos infideles Christianis Principibus subditos, non tantum non cogit ad fidem Catholicam (quod tamen per se loquendo possit minis & terroribus facere juxta Sententiam probabilem Scoti practicam à Ferdinando, & Sisebuto Regibus Hispaniæ, & colligitur ex l. cunctos. Cod. de sum. Trim.) sed id etiam variis Canonibus interdixit, ut Toletanum IV. Can. 56. ita iisdem rationibus mota Ecclesia parvulos infidelium, & Parentibus invitis non baptizat, imò si id nondum prohibuit, (quod fecisse aperte non ostenditur) prohibere potest. Ita sapienter more suo Henricus cit. num. 34.

Q U Æ S T I O III.

De Dispositione requisita in Subiecto Baptismi.

S U M M A R I U M.

- 56 Quid requiratur ad Baptismum validè recipiendum in Infantibus, & Amentibus? 57. Quid in Adultis?
- 58 Ad recipiendum fructuosè Baptismum requiritur in Adulto fides actualis.
- 59 Propositum proficiendi, & servandi legem Christi.
- 60 Et si habeat peccatum mortale personale, requiritur Penitentia, scilicet attritio supernaturalis.
- 61 Non necessaria contritio perfecta.
- 62 Baptismus fide susceptus reviviscit.
- 63 Duplex est fides, seu obex gratiæ, positivus, & negativus.
- 64 Qualis dispositio requiratur ad tollendam fictionem negativam? 65. Et qualis ad tollendam positivam?

Fidèio

66 Fides positiva, & peccata baptismum concomitantia non tolluntur per baptismum, sed per penitentiam.

A S S E R T I O III.

Ad baptismum validè recipiendum, in adultis ratione utentibus requiritur intentio illum suscipiendi, non tamen fides, aut alia dispositio: Ad licitè verò, & fructuosè recipiendum requiritur Fides ex parte intellectus: propositum proficiendi, & servandi legem Christi, & si adultus sit obstrictus peccato mortali personali, requiritur saltem attritio. Ut baptismus, fide susceptus cum obice negativo, reviviscat, requiritur sola attritio; Si verò fuerit susceptus fide cum obice positivo; ut reviviscat, requiritur contritio perfecta, vel cum Sacramento penitentiae attritio. Fictio, sicut et alia peccata actualia in ipsa susceptione baptismi commissa non tolluntur per baptismum, sed per penitentiam sacramentum, aut contritionem. Est partim certa, partim communis, partim controversa.

S. I. In adultis ad baptismum validè recipiendum requiritur intentio, & consensus.

Certum est, quòd in infantibus, & perpetuò amentibus ad recipiendum validè, licitè, & fructuosè baptismi Sacramentum nulla prærequiritur dispositio, cum nullius sint capaces. Siquidem intentionem recipiendi baptismum, in iisdem supplet Christus, & Ecclesia, ut jam dictum in præcedentibus. Adedque sola questio movetur de adultis ratione utentibus, si baptizari velint, quales in eis dispositiones, tam ad validè, quàm ad licitè & fructuosè recipiendum baptismum requirantur? Itaque

Ut adultus validè recipiat baptismum, requiritur in eo intentio illum suscipiendi. Est certa, & constat satis ex Theologia Sacramentali R. P. Patritii Sporer, part. 1. cap. 2. sect. 3. nu. 140. & seqq. Ubi ad longum, & latum hanc materiam pertractat. Non tamen ad validè suscipiendum baptismum requiritur fides, aut alia dispositio suscipientis, quod constat tum ex cap. majores, de baptismo; tum ex praxi Ecclesiæ, quemlibet adultum voluntarie baptismum non permittentis rebaptizari, quantumvis constet, illum eo tempore, quo fuit baptizatus, fuisse infidelem. Unde si fides non requiratur ad valorem baptismi, multò minus aliæ dispositiones requirerentur ad valorem baptismi, quæ fidem essentialiter præsupponunt. Ex quo etiam patet; quòd validè susceptioni baptismi non obstat mala intentio suscipientis, ex aliquo motivo temporali inordinato concepta. Vide P. Sporer cit.

S. II. Ad recipiendum fructuosè baptismum requiritur in Adulto

I. Fides actualis. Patet ex S. Scriptura; quia Matth. ult. ait Christus Dominus Apostolis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Et Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Ad Hebr. 11. inquit S. Paulus: sine fide impossibile est placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Unde Actor. 8. Eunucho postulanti baptismum respondit Philippus: Si credis ex toto corde, licet, idem colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 6. & 8. Et sufficit, quòd hæc fides sit actualis, nec necessaria est habitualis; Nam ante justificationem in baptismum receptam non datur in recipiente fides habitualis; simul enim dantur in effectu baptismi tres virtutes Theologicæ. Fides ergo, quæ est dispositio ad fidem habitualem, actualis esse debet; quia actus de congruo disponunt ad justificationem, quæ fit per habitum infusus, Mastrius in 4. disp. 2. quæ. 6. nu. 123. Debet autem hæc fides; seu actus fidei procedere ex Divina gratia actuali supernaturali, ut definit Concilium Trident. supra cit. Can. 3. ut dispositio proportionetur formæ, ad quam disponit. Quorum autem Mysteriorum seu articulorum fidei notitia debeat esse in adulto baptizando, debet colligi ex traç. 2. in 1. præceptum Decalogi, R. P. Sporer, cap. 2. sect. 2. num. 11. & seq. tantam enim notitiam debet habere, quantum alii fideles, cum sit eadem obligatio baptizandi, & baptizari in credendo.

II. Propositum proficiendi, & servandi legem Christi. Communissima apud Mastrius citat. nu. 124. Ratio est: quia ut adultus fructuosè recipiat baptismum, debet se convertere ad DEUM, & velle instituire novam vitam, ac ea facere, ad quæ baptizatus quisque obligatur; Atqui quilibet baptizatus obligatur proficere, & servare legem Christi; Siquidem Christus Dominus Matth. ult. dixit Aposto-

lis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis: Ergo ut adultus fructuosè recipiat baptismum, debet habere propositum proficiendi, & servandi legem Christi.

III. Si adultus cum peccato originali habeat etiam peccatum mortale personale, tunc ad fructuosè recipiendum baptismum necessaria est illi Penitentia. Est de fide, & patet tum ex S. Scriptura, Actor. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Tum ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 1. ubi dicitur: Fuit Penitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui perivissent. In eandem sententiam conspirant SS. Patres, & consentiunt etiam Scholastici cum Scoto in 4. d. 4. q. 5. quidquid sine fundamenta aliqui contrarium asserant, ut bene ostendit Vasquez, apud Henricum cit. disp. 6. quæ. 5. nu. 36. & Mastrius cit. nu. 126. Tum hac ratione: Quia omnino decet, ut is, qui liberè se à DEO per peccatum avertit, liberè se in DEUM convertat per peccati detestationem. Dictum est: Si adultus habeat etiam peccatum mortale personale. Nam obstrictus solo originali, nullam tenetur habere poenitentiam; quia propria personali voluntate se non avertit à DEO; ideoque Concilium Trident. supracit. de illis solum loquitur, qui se mortali aliquo peccato inquinassent; adeoque sufficit in iis intentio suscipiendi baptismum, fides actualis, & propositum proficiendi, & servandi legem Christi ad consequendum fructum seu gratiam Baptismi. Ita passim discurrunt recentiores, Suarez, Aversa, Henriquez, Areninus, Bonacina, & alii communiter apud Mastrius cit. num. 124. qui addit: si adultus cum peccato originali haberet conjunctum solum veniale sine ullo mortali, neque in tali casu pro dispositione ad baptismum recipiendum requireretur poenitentia de veniali peccato; quia venialia non impediunt receptionem gratiæ sanctificantis, & remissionem mortalium, ut notat Aversa quæ. 68. sect. 5.

IV. Penitentia, quæ in adulto peccatum mortale personale habente, ad recipiendum baptismi effectum, scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum requiritur, non necessariò debet esse contritio perfecta, sed sufficit, & requiritur saltem attritio supernaturalis. Ita Doctor subtilis in 4. d. 4. quæ. 5. & est communis, quam tenet Suarez, Vasquez, Cominck, Aversa, Becanus, Brancaus, Centinus, Mastrius, Henricus, & alii contra quamplures Theologos. Ratio est: quia baptismus est per se institutus ad deletionem peccati tum originalis, tum personalis, ut patet ex Concilio Florentino in Decreto de Armenis, & Trident. sess. 5. Can. 3. & 5. Ergo debet posse delere peccata cum sola attritione. Probatur consequentia: Quia si requireretur contritio perfecta, peccata semper forent deleta per eam ante realem baptismi susceptionem; & consequenter baptismus non videretur institutus in remissionem peccatorum; cum non rectè causa dicatur instituta ad effectum, qui semper, & necessariò casualitati illius præsupponitur. Confirmatur: Quia baptismus est Sacramentum mortuorum, & regeneratio spiritalis, quod non rectè diceretur, si contritio prærequireretur, per hanc enim & mortuus revivisset, & homo spiritaliter esset regeneratus, antequàm ad Baptismum perveniret. Denique juxta Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. Attritio sufficit in Sacramento penitentiae; ergo multò magis sufficit in baptismo; cum faciliùs remittantur peccata per baptismum, quàm per Sacramentum Penitentiae, ut meminit idem Concilium cit. cap. 8. Hæc tamen attritio, quam dixi sufficere, debet esse supernaturalis, concepta videlicet ex motivo supernaturali, & elicitæ auxilio gratiæ actualis Divinæ; Tum quia homo per solas naturæ vires, & actus naturales non potest se ad justificationem disponere; Cum inter dispositionem, & formam introducendam debeat esse proportio; sicut ergo forma, id est, gratia, & justificatio, est supernaturalis, ita & dispositio. Tum quia ad Sacramentum Penitentiae requiritur attritio supernaturalis: ergo etiam ad Sacramentum Baptismi. Non tamen requiritur, ut attritio illa existimetur, bona fide contritio, prout vult Navarrus cap. 1. summe num. 27. sicut nec ad Sacramentum Penitentiae requiritur attritio bona fide estimata contritio, ut videre potes apud P. Sporer Theolog. Sacram. part. 3. cap. 2. sect. 3. num. 273.

S. III. Baptismus fidei susceptus.

62 I. Baptismus posse ab adulto rationis compote, valide suscipi, sed illicitè, seu informiter, hoc est, sine collatione gratiæ sanctificantis, & remissione peccatorum; atque sic illicitè seu fidei susceptum gaudere privilegio reviviscentiæ, si obex gratiæ tollatur, consentiunt Theologi apud P. Sporer Theol. Sacram. parte 1. capit. 1. sect. 1. num. 27. & 29. quem vide. Itaque hic solum indagatur, qualis dispositio requiratur ex parte adulti, ut Baptismus fidei ab eo susceperit reviviscat; ubi sciendum, quod fidei hic non accipiatur pro ea, quæ excludat intentionem suscipiendi Sacramentum, quo pacto Baptismus non esset validus, sed solum pro indispositione effectum Baptismi impediente, quando aliàs Sacramentum, est validum, sumpto nomine ex Sapientia 1. Spiritus Sanctus discipline effugiet furtum, & difficultas non est de caractere, hic sicutem imprimatur semper in anima, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri. Idem etiam sentit D. Thomas art. 10. ad 2. Ubi dicit, peccatum fidei non tolli per Baptismum, sed per penitentiam. Ratio est: quia illud peccatum computatur inter ea, quæ Baptismus sequuntur: Ergo non potest tolli nisi per Sacramentum penitentiam, vel per contritionem: ergo sola attritio est insufficientis. Nec audiendus est, si quis dicat, potius computari debere inter peccata præcedentia Baptismum, propterea quod hoc peccatum consistat in voluntate suscipiendi Baptismum indignè; sed talis voluntas suscipiendi Baptismi prior est ipsa susceptione Baptismi: ergo &c. Respondetur enim, si talis voluntas ante susceptionem Baptismi cessaret, tunc pertineret ad peccata Baptismum præcedentia: Hoc autem non fit; quia ponimus ex mortali voluntate sequi sacrilegiam susceptionem Baptismi, & sic debet pertinere ad peccata Baptismum subsequencia. Accedit Ratio: quia Baptismus prius natura confert characterem, quam gratiam sanctificantem, idque propterea, quod ad imprimendum characterem non requirit illas dispositiones, quas requirit ad gratiam. Deinde, quia sicut character baptismalis est potentia passiva ad suscipienda alia Sacramenta, & eorum effectus; sic etiam ad suscipiendum effectum gratiæ baptismalis; ergo quando quis ponit obicem gratiæ baptismalis per sacrilegiam fidei, jam intelligitur habere characterem baptismalem: ergo talè sacrilegium prout re ipsa fit, censetur fieri ab homine baptizato, ac proinde ab homine subiecto clavis Ecclesiæ; unde consequenter peccatum ipsius debet tolli, vel per Sacramentum Penitentiam, vel extra Sacramentum per contritionem. Itaque

63 II. Notandum: Obicem gratiæ duplicem esse posse: Primum obex quasi negativus, est; Cum quis ad Sacramentum indispositus accedit, hoc tamen invincibiliter ignorat, & idè non peccat, licet ob defectum dispositionis requisitæ effectum Sacramenti non recipiat. Alter obex est positivus, quando quis actualiter peccat in ipsa Sacramenti susceptione, ut si sciens se esse in peccato mortali Sacramentum suscipiat. Vel loquendo juxta phrasim antiquorum, fidei sine peccato, quæ tunc accidit, quando quis absque idonea dispositione ad Baptismum accedit bona fide credens se esse sufficienter dispositum, vel putans hanc non esse necessariam; Altera cum peccato, & tunc accidit, quando quis sciens se esse in peccato mortali, absque debita dispositione doloris de suis peccatis ad Baptismum accedit, vel cum complacentia alicujus peccati mortalis distincti, de quo nulum habet dolorem; ut puta, si quis accedens ad baptismum habeat septem peccata mortalia, & de sex habeat attributionem, de septimo nequaquam, quia v. g. est in concubinato, nec vult concubinam dimittere, quod est exemplum à Scoto allatum in 4. d. 4. quæ 5. & juxta hanc distinctionem resolvenda est proposita quæstio. Itaque

64 III. Dicendum est, si Baptismus fuerit susceptus cum primo obice negativo, vel cum prima fisione, quæ est sine peccato, sortiri postea suum effectum in tali homine se disponente per solam attritionem, nimirum tunc gratiam sanctificantem infundi, peccatum originale remitti, nec non & peccata omnia tam mortalia, quam venialia Baptismum antecedentia, & condonari debitam penam, & quidem hoc totum haberi virtute Baptismi præteriti, quamvis enim, quando obex & fizio removetur per sufficientem dispositionem, jam ipsa non fit Baptismus, sed transierit, hoc tamen minime obstat; quia talis effectus principaliter & physice effectivè pendet à DEO, & à Baptismo dependet, tanquam ab Instrumento morali, quod potest moraliter operari, etiam si physice non sit præsens. Ita communissima cum Scoto in 4. d. 4. quæ 5. Mastrius, Suarez, Becano; Et ratio est: Tum quia attritio sufficiens est dispositio in ipso Baptismo, dum suscipitur; Ergo etiam post Baptismum, si interea non accessit novum peccatum mortale: Tum quia fizio, de qua agitur, consistit in sola carentia dispositionis: ergo postea dispositione tollitur fizio: sed in hoc casu non opus est alia dispositione: ergo per illam sufficienter tollitur fizio: Tum quia in tali casu non opus est Sacramento Penitentiam; cum supponamus omnia peccata facta esse ante Baptismum: Ergo omnia tollenda sunt vi solius Baptismi: ergo possunt tolli per illam dispositionem, quæ sufficit cum solo Baptismo: sed talis est attritio: ergo &c. Supponitur tamen, quod in hoc casu post susceptum Baptismum non accesserit novum mortale: Nam si, qui fidei accessit ad Baptismum sine actuali peccato, post susceptum Baptismum peccasset mortaliter, non sufficeret illi attritio ad tollendam fisionem, sed necessaria foret contritio. Ratio est: quia peccatum post Baptismum commissum non potest tolli per Baptismum, ut de se patet; & notum est ex Concilio Trident. sess. 7. canon. 10. Nec potest tolli per solam attritionem extra Sacramentum, ut omnes fatentur: nec potest tolli, nisi fi-

sione sublata, & aliis peccatis ante Baptismum commissis sublatis; quia unum peccatum mortale nequit tolli sine alio: Non enim tollitur formaliter, nisi per gratiam sanctificantem, quæ cum nullo peccato mortali potest consistere; Si ergo sola attritio non sufficit ad tollendum peccatum mortale post Baptismum commissum, non poterit tollere etiam reliqua, quæ cum illo conjuncta sunt, ac proinde non potest tollere fisionem, sed necessaria erit contritio.

IV. Si verò Baptismi Sacramentum fuerit susceptum, cum obice positivo, & cum secunda fisione, quæ est cum peccato, tunc necessaria est contritio, vel attritio simul cum Sacramento Penitentiam ad tollendam talem fisionem, & ad hoc, ut Baptismi Sacramentum suum producat effectum. Ita communis cum Doctore Subtili citata, ubi S. Augustinum allegat lib. 1. de bapt. contra Donatistas cap. 12. in hæc verba scribentem: Tunc valere incipit ad salutem (Baptismus) cum illa fisione veraci confessione recesserit, quæ Corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri. Idem etiam sentit D. Thomas art. 10. ad 2. Ubi dicit, peccatum fidei non tolli per Baptismum, sed per penitentiam. Ratio est: quia illud peccatum computatur inter ea, quæ Baptismus sequuntur: Ergo non potest tolli nisi per Sacramentum penitentiam, vel per contritionem: ergo sola attritio est insufficientis. Nec audiendus est, si quis dicat, potius computari debere inter peccata præcedentia Baptismum, propterea quod hoc peccatum consistat in voluntate suscipiendi Baptismum indignè; sed talis voluntas suscipiendi Baptismi prior est ipsa susceptione Baptismi: ergo &c. Respondetur enim, si talis voluntas ante susceptionem Baptismi cessaret, tunc pertineret ad peccata Baptismum præcedentia: Hoc autem non fit; quia ponimus ex mortali voluntate sequi sacrilegiam susceptionem Baptismi, & sic debet pertinere ad peccata Baptismum subsequencia. Accedit Ratio: quia Baptismus prius natura confert characterem, quam gratiam sanctificantem, idque propterea, quod ad imprimendum characterem non requirit illas dispositiones, quas requirit ad gratiam. Deinde, quia sicut character baptismalis est potentia passiva ad suscipienda alia Sacramenta, & eorum effectus; sic etiam ad suscipiendum effectum gratiæ baptismalis; ergo quando quis ponit obicem gratiæ baptismalis per sacrilegiam fidei, jam intelligitur habere characterem baptismalem: ergo talè sacrilegium prout re ipsa fit, censetur fieri ab homine baptizato, ac proinde ab homine subiecto clavis Ecclesiæ; unde consequenter peccatum ipsius debet tolli, vel per Sacramentum Penitentiam, vel extra Sacramentum per contritionem. Itaque

S. IV. Fidio positiva.

Sicut & alia peccata actualia, in ipsa susceptione Baptismi commissis, non tolluntur per ipsum Baptismum, sed per penitentiam Sacramentum, aut contritionem. Scotus citatus, Mastrius in 4. disp. 2. quæst. 6. numer. 145. & seqq. & ipso teste passim recentiores. Ratio primæ partis, nimirum, quod fizio non tollatur per Baptismum, sed per penitentiam Sacramentum, aut contritionem, est: quia juxta Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. Peccata post Baptismum commissis, non possunt per Baptismum deleri, sed per Sacramentum penitentiam, vel contritionem; Atque fizio in ipsa Baptismi susceptione commissis, & post susceptionem perseverans est peccatum posterius baptismum saltem natura; quia est sacrilegium commissum ob indignam Baptismi susceptionem. Ergo non potest deleri per Baptismum, sed per Sacramentum penitentiam vel contritionem. Probatur minor: Religiosus in eo instanti, quo emittit vota, potest contra ea peccare, si habeat v. gr. intentionem fornicandi, similiter conjux in eo instanti, quo contrahit Matrimonium, peccat contra fidem Matrimonii, si habeat animum adulterandi: ergo etiam in eo instanti, quo quis suscipit Baptismum, potest quis contra hunc peccare, nimirum eum fidei suscipiendo, & consequenter tale peccatum erit à Baptizato commissum, adeoque natura posterius Baptismo. Hæc ratio etiam militat pro secunda parte, videlicet, quod peccata actualia in ipsa susceptione Baptismi commissis, hincque concomitantia, v. g. intentio fornicandi in ipso instanti suscepti Baptismi habita non tollantur per Baptismum, sed per Sacramentum penitentiam, vel contritionem. Confirmatur utraque pars simul; & est credibile, ait Scotus cit. Sacramentum Baptismi esse institutum ad remittendum illud peccatum, quod ejus vim enervat, effectum impedit, ei-

que

que directè opponitur, & irreverentiam infert: sicut nec Sacramentum penitentiam aufert peccatum in ipsius susceptione admissum: Atqui tam peccatum fisionis positivæ, quam alia peccata concomitantia susceptionem Baptismi, hujus effectum impediunt, ei directè opponuntur, ac irreverentiam interunt Baptismo: ergo non per hunc; sed per Sacramentum penitentiam, vel contritionem tolli possunt. Ex quo inferitur, quod talis fizio suscipiens Baptismum teneatur non tantum confiteri fisionem, sed etiam reliqua peccata Baptismi susceptionem concomitantia, v. gr. quod in eodem Baptismi momento habuerit intentionem fornicandi, vel occidendi, vel complacentiam de fornicatione ante Baptismum commissis &c.

67 Dices: Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. & 4. Saepius exprimit, & definit, sola peccata post Baptismum commissis esse clavis Ecclesiæ subjicienda, sed peccatum fisionis, aliaque concomitantia Baptismum, eo ipso quod sint concomitantia, non sunt post Baptismum commissis, ergo non sunt clavis Ecclesiæ subjicienda. Resp. negando minorem, computantur enim inter peccata post Baptismum commissis, cum juxta supradicta sint natura posterius baptismum. Quia autem raro, vel nunquam contingit, quod peccatum aliquod duret tantum pro instanti baptismum, & non etiam post, idè etiam noluit Concilium exprimitur similitum peccatorum facere mentionem: licet adhuc satis comprehendere, dum dicit, omnia mortalia, in quæ Christi fideles ceciderint, ad Sacerdotes Vicarios Christi esse deferenda: At qui fidei suscipiens baptismum in instanti, quo suscipit baptismum, est fidelis, cum habeat characterem baptismalem: ergo tenetur peccata in instanti baptismum commissis confiteri, atque deferre ad Sacerdotem Christi Vicarium.

QUÆSTIO IV.

An, & quando Baptismus possit iteratò suscipi?

SUMMARIUM.

- 69 Baptismus semel validè collatus iterari non potest.
- 70 Si verò de ejus valore dubitetur, reiterandus est sub conditione.
- 71 Baptizati ab hæreticis subinde sunt rebaptizandi sub conditione.
- 72 Infantes expositi, & inventi rebaptizantur sub conditione.
- 73 Et seqq. Afferuntur quatuor regulæ, quæ sunt attendendæ in baptismo sub conditione repetendæ.
- 77 Quid faciendum Sacerdoti de suo baptismo dubitanti?
- 78 Quid Religioso?
- 79 Quid conjugi, marito, vel uxori?

ASSERTIO IV.

68 Baptismus semel validè collatus iterari non potest. Quando tamen subest verum dubium, an aliquis sit verè baptizatus, est rebaptizandus sub conditione, quare baptizati ab hæreticis, vel ab infantes expositi, & inventi subinde sunt rebaptizandi sub conditione. Communissima Theologorum.

S. I. Baptismus semel validè collatus iterari non potest.

69 Est de fide, ex Concilio Florentino, & Trident. sess. 7. can. 3. de Sacramentis, & can. 11. de baptismo. Hæc veritas principaliter probatur ex traditione Ecclesiæ, cujus testis est Clemens Romanus, lib. 6. constitut. cap. 15. & alii Patres, apud Vasquez, & Herincx disp. 6. de baptismo. qu. 6. num. 38. Ratio congruentiæ prima est, quia semel natus corporaliter, non potest secundo nasci, sed solum resuscitari: Ergo etiam semel natus spiritualiter per baptismum, non potest secundo nasci, sed solum resuscitari per penitentiam. Secunda, quia baptismus imprimi characterem, qui frustra multiplicaretur per plura baptismata; idèque Concilium Trident. sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, definiens in baptismo, & duobus aliis Sacramentis videlicet confirmatione, & Ordine imprimi characterem subiungit: Unde iterari non possunt. Tertia, quia baptismus repræsentat mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi, ut significat Apostolus Roman. 6. & Coloss. 2. Unde sicut Christus semel tantum pro peccatis nostris mortuus est, & semel resurrexit, ita & nos per baptismum eidem conscripti, & per eundem resurgentes, non possumus iteratò sepeliri in aqua baptismi, ne significemus, Christum iteratò posse mori, & sepeliri: Quantum ad præ-

Supplem. Theol. Sacrament.

nas rebaptizatis, & rebaptizati spectat, uterque decernitur extremo supplicio afficiendus, l. 2. C. de Sanctum Baptisma iteretur, & uterque sit irregularis, si scienter, & ferid iteretur baptismus, ex cap. ex Litterarum, de apostatis, & reiterantibus baptisma.

S. II. Quando tamen subest verum, & rationale dubium,

AN aliquis sit baptizatus, rebaptizandus est sub conditione. Ita communiter Doctores apud Herincx, Gobat, Layman, &c. ex cap. de quibus 2. de baptismo, & Concilio Carthaginiensi V. cap. 6. Ratio est: Quia baptismus est ad salutem necessarius necessitate mediæ, & præcepti ut infra dicemus, & alioquin deberet manere quis in periculo carenti se nper baptimi effectu, nullomque aliud Sacramentum validè suscipiendi, quæ necessitas est adeo gravis, ut faciliè excusetur ab irreverentia alioquin per iterationem Sacramento inferenda, accedente potissimum conditione: quæ formæ apponitur. Unde adulti dubitans de valore sui baptismi, potest, imò graviter obligatur baptismum sub conditione petere, & Pastores tenentur conferre. Idem dicendum, si probabiliter tantum judicet, se validè baptizatum, & hoc quidem ante susceptionem ulius alterius Sacramenti. Cardinalis de Lugo in Respons. Moral. lib. 1. dub. 1. & 2. Vasquez, Dicastillus, Gobat tract. 2. de baptismo, casu 13. nu. 371. & alii communiter. Ratio est 1. quia in hoc casu non habetur certitudo moralis de validè suscepto baptismum, quæ tamen in Sacramento summe necessario requiritur. 2. quia in Sacramento, quando agitur de valore actus, aut de efficacia actionis ad aliquem effectum causandum: non licet sequi sententiam probabilem, vel etiam probabiliorè, at minus tutam, ut habet Pater Sporer tract. 1. Proem. cap. 1. sect. 3. num. 53. Quia valor Sacramenti, aut ejus efficacia ad aliquem effectum causandum, non pendet à mea bona fide, aut rationibus quantumcumque probabilibus, sed à materia, & forma Sacramentali juxta institutionem Christi, verè à parte rei applicata: Ergo licet sit probabile, quod aliquis sit validè baptizatus, si tamen non sit moraliter certum, non tamen poterit ullum aliud Sacramentum suscipere, propter periculum nullitatis, sed: tenebitur statim, quamprimum poterit, sub conditione rebaptizari. Taceo gravissima, & irreparabilia incommoda, quæ sequerentur, si quis dubitans, aut tantum probabiliter putans se esse validè baptizatum, ordinaretur in Sacerdotem, vel Episcopum, quæ bene exaggerat noster P. Herincx cit. num. 42. dictum est: Quando subest verum dubium: sine illo enim non licet iterare baptismum: etiam sub conditione, ut docent Theologi cum Catechismo Romano part. 2. cap. 2. num. 43. & colligitur ex Rituali Romano, tit. de baptismo, §. de forma baptismi.

S. III. Baptizati ab hæreticis, vel ab

Hæreticis

NUM baptizati ab hæreticis, sint rebaptizandi; diximus satis supra, hac sectione, quæst. 1. num. 41. & seqq. Quantum verò ad baptizatos ab Hæreticis, dicendum cum Herincx cit. num. 44. baptizatos ab hæreticis generaliter loquendo, non esse rebaptizandos: Cum enim ex fide, & superius dictis constet de valore baptismi ab illis debite collatus, non potest etiam sub conditione repeti, nisi adesset fundata suspicio, eos in aliquo essentiali defecisse. Sicut teste Coninch. qu. 66. art. 9. nu. 69. quandoque in Anglia contingit, proles nobilium aqua rosacea, aut simili liquore baptizari, aut ob molestiam frigidis solum vestes aqua abstergi, & quibusdam in locis ministrum in suggestu formam pronunciare, alio corpus prolis ablucante, tunc enim sufficiens adesset ratio baptismum iterandi, imò Præpositus apud Herincx cit. putat in partibus Belgii hæresi infectis prudenter rebaptizari sub conditione baptizatos ab hæreticis: eo quod, qui eorum mores norunt, merito dubitent, an legitime baptizent. Idem docent nonnulli alii recentiores, & consonat Pastorale Mechliniense 1609. Atque etiam novissime recognovimus anno 1624. in quo præscribitur tit. de Sacramento baptismi, §. de forma; Et quia nostris temporis hæretici pro insatiabili suo in Ecclesiam odio, Sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam continent, aut legitimam intentionem non habent (ed. liberius, quod opinione Calvinistica, baptismus filii fidelium non sit necessarius) merito baptismus ab eis collatus, de nullitate suspensus haberi debet. Proinde ab iis baptizati, sub conditione rebaptizentur. Itaque dum hæreticus desiderat converti ad fidem Catholicam, bene examinandus est, ubi sit natus, & baptizatus & à quo? An, & qualis ibi adhibeatur in baptismo materia, forma, & baptizandi modus, & tunc, si non videatur